

longis luculente scriptus exhibet: I. *Commentaria in Apocalypsin* fine Titulo, nomineque Autoris, quae a Commentario in *Praefationem*, quam *Gilbertus Porretan.* s. *Pictaviensis* Apocalypsi praefixisse dicitur, quaeque legitur in *Bibliis glossat.* incipiunt, hoc modo: *Omnes qui pie uolunt uiuere &c. diuiditur iste prologus in VIII. partes in prima breuem fidelium ammonicionem premittens ostendit &c.* Capitis I. expositio sic inchoat: *apokalipsis iesu christi &c. liber iste in duas partes diuiditur. in prima quedam communia toti operi et generalia premittit ut hic in primo capitulo. in secunda spiritualiter ad uisiones et reuelaciones accedit &c.* Sub finem C. 13. multus est Autor in computando numero *Bestiae* uidelicet DCLXVI. inuenitque hunc numerum in uocibus *Antemos, Arnoyme* (Αντιθεος. Αρνυμα.) *Teytan* et *Diclux*, quae, ut ait, erunt *Antichristi* nomina. Similia diximus ad *Codd.* duos sequentes. Finit tota haec cursoria *Apocalypseos* Expositio in v. 27. c. 4. L. III. *Esdrae: Iniquus rex, iniquae mulieres, iniqui filij hominum &c.* ut ut Autor illum *apocrifum* uocet. II. fol. 56. manu Sec. XII. In nomine domini incipit *dialogorum liber. I. beati Gregorii.* Initium absque omni *Praefatione*: *Quadam die nimis quorundam Secularium tumultibus depressus quibus in suis negociis plerumque cogimur soluere etiam quod nos certum est non debere &c.* Ita et III. *Libri* reliqui integri sequuntur, quin ta-

men adpareat *divisio in Capita.* Finis ultimi: *non indigebimus post mortem. si ante mortem hostia deo ipsi fuerimus.* Extant notissimi hi *Dialogi* in edit. *Opp. Gregorii Mauriana Paris. 1705. T. II. col. 149.* Non defuturum *Collatori* spicilegium vel illud argumento fit, quod mox ab ingressu, ubi *Edita* legunt: *ut prius quidem perdat bonum quod tenet, si tamen se perdidisse meminerit, longe rectius Codex noster: sed tamen se perdidisse meminerit, id quod Editores in nullo fuorum Codd. inuenere; e Graeca tamen Zachariae uersione colligere poterant, ubi: μνημονευειν δε οτι εσ απολεσεν &c.* Latinius item paulo post in *Nostro*: *quos ne per humanos actus a nouitate mentis ueterascerent, omnipotens deus huius mundi laboribus noluit occupari, quam in Editis: qui ne per humanos — eos omnipotens deus — noluit occupari.*

CXXII. VI. 26

Codex chartaceus lat. Sec. 244 XV. Folior. 257. f. currente calamo per duas columnas scriptus exhibet: I. *Expositionem Apocalypseos*, de qua *Thecae* anteriori inscriptum legitur: *Nota expositores Autenticos Apocalypsis, et enumeratis Augustino, Hieronymo, Beda, Haymone, Helinando, Alberto M. Gilberto, Joachimo, et Relengario (quem Berengarium puto. Confer Fabric. Bibl. med. et inf. Lat. L. II. ad h. v.) additur: Ex di&is istorum*

expositorum colligitur hec complicatio summo magistro christo ihesu sermonem dirigente et ad finem desideratissimum perducente cui est honor &c. Quis vero complicator fuerit, ad Cod. seq. dicetur; quam enim supra notam praedictam minio adscriptum fit: Ista expositio dicitur Radberti Abbatis, et infra eam: expositio vitalis monachi, non tamen aut ad Rupertum Tuitiensem, aut ad Vitalem de Furno O. M. pertinet, quoniam utriusque Commentarium Apocalypticum cum nostro contulimus. Incipit autem ejus Prologus: Vidit Jacob in sompnis scalam stantem super terram &c. et ipsa expositio: Liber iste diuiditur principaliter in duas partes. Prima continet primum capitulum, tamen et subdividitur in tres partes &c. Aevum certe Scholasticum ista produnt. Concluditur Opus: si alicui minus bene dixi mihi iohannes benignus indulgeat delinquenti et veniam postulanti delictorum non malicie sed ignorancie et ascribat et corrigat quitquit corrigendum uiderit. Benedictus sit ihesus christus Amen.

II. fol. 193. Henrici de Hassia Epistola: Reuerendo domino ac genere preclaro Domino Jo. de eberstain Camerario Mogentio suus ubique clericus humillimus henricus langenstein dictus de hassia &c. Vide quae de ea ad Cod. CCXLI. diximus.

III. fol. 196. Henrici de Oyta Tractatus de Contractibus. Incipit: Diligite iustitiam, qui iudicatis terram &c. Finit: sed si ignorante do-
Denis Codd. mfs. theol. Bibl. Palat.

mino datum sit, et ratum habuit pignus ualebit. Ut Codd. CCXLI. et aliis quos vide, si lubet, in Indice.

IV. fol. 220. Sermones XI. quorum 1. de Ascensione Domini. 2. de Trinitate. 3. et sequentes septem de Spiritu sancto, ultimus rursus de Trinitate. Omnes videntur ad Academicos Viennenses dicti; etenim Patres et Dominos reuerendos frequenter adpellat Orator, cumque Sermo secundus hac subscriptione gaudeat: *Explicit sermo de trinitate factus et predicatus per venerabilem Magistrum Henricum de Hassia doctorem sacre Theologie*, non procul a vero abfuturum putem, qui et reliquos omnes eidem Autori tribuerit.

V. fol. 246. p. 2. absque titulo Bonaventurae Soliloquium de quatuor mentalibus exercitiis, quod incipit: *Flecto genua mea ad patrem domini mei* &c. et Cod. DCXXXVII. indicatum est. Verum hic jam in ipso C. I. deficit. Integrum habes etiam Cod. XC.

CXXIII. VIII. D. 12

Codex chartaceus lat. Sec. 273 XV. Folior. 233. f. per duas columnas commode scriptus hunc praefert miniatum Titulum: *Dicta Militon. Super Apokalipsim.* Prolixus iis praefixus est Prologus, cujus initium: *Spiritu magno uidit ultima &c. Cum in sacra doctrina reuelata beato Johanni in Apok. sint consideranda quinque* &c. In hoc Prologo iudicium erit Autor de iis, qui in *Apokalipsin*